


Christian Siegmund Georgi


**Veritatem Resurrectionis Dominicae Ab Impietatis Criminationibus Vindicans Ad  
Festum Resurrectioni Domini Dedicatum Pie Celebrandum Magnifici Rectoris  
Nominis Cives Optimos Invitat**

Vitembergae: Prelo Ephraim Gottlob Eichsfeldi[i], MDCCLIV

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862186080>

Druck Freier  Zugang







384 a.B.

48.6.8.

17

Fa-1092 (17.)





21.

23.

24.

3.

23.

4.

2

5.

2

6.

20

7.

11

8.

9.

10


16.

11.

15.

12.







2. 23

24.

3.

23

4.

2

5.

2

6.

20

7.

1

8.

18

9.

17

10.

16.

11.

15.


12.

14.

13.

1







2.

23

24.

3.

23

4.

2

5.

3

6.

20

7.

1

8.

18

9.

17

10.

16.

11.


15.

12.

14.

1







VERITATEM  
RESURRECTIONIS  
DOMINICAE

AB  
IMPIETATIS CRIMINATIONIBVS  
VINDICANS

AD FESTVM  
RESURRECTIONI DOMINI  
DEDICATVM  
PIE CELEBRANDVM  
MAGNIFICI RECTORIS NOMINE  
CIVES OPTIMOS

INVITAT

CHRISTIANVS SIGISMVNDVS  
GEORGIVS

S. S. THEOLOGIAE DOCTOR HVIVSQVE PROFESSOR  
PVBLICVS ORDIN. ET ELECT. ALVMN. EPHORVS  
SVIQVE ORDINIS H. T. DECANVS

VITEMBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS  
MDCCLIV



VERITATEM  
RESURRECTIONIS  
DOMINICAE

IMPETATIS CRIMINATIONIBUS  
INDICIS

AD RESURRECTIONEM  
DOMINI

DEDICATA  
MAGNIFICI RECTORIS NOMINE  
CIVES OPTIMOS

CHRISTIANVS SIGISMUNDVS  
GEORGIVS

PHILOSOPHICAE DOCTRINAE PROFESSOR  
PRAELECTOR ET RECTOR  
SACRAE ORDINIS M. S. DICENS

VITTEMBERGA  
FRIDERICVS GOTTLIEB  
ACADEMIAE A. T. P. S.  
M. DCC. LXXV.





Ana cum esset fides nostra, si nulla defun-  
ctorum daretur resurrectio, si Christus  
non resurrexisset, (a) eo, a primordiis  
statim salutis, morte Christi, reparatae, ge-  
neris humani hostis allaboravit, ut hanc solatii anchoram,  
aut eriperet nobis, aut fundamento suo disturbaret. Quapro-  
pter mendacii ille parens, multiplici arte, hanc de mortuorum,  
speciatimque Christi, resurrectione ueritatem euertere, uel  
tamen confundere, per ministros suos studuit, dum aliis sug-  
gestit,

A 2

(a) S. Paulo, 1. Cor. XV, 13, seqq. scribente, *Εἰ δὲ ἀνάστασις νεκρῶν οὐκ ἔστιν, οὐδὲ Χριστὸς ἐγήγερται. Ἐἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγερται, κενὸν ἄρα τὸ κήρυγμα ἡμῶν, κενὴ δὲ καὶ ἡ πίστις ὑμῶν. Ευρισκόμεθα δὲ καὶ ψευδομαρτυροῦντες τοῦ Θεοῦ, ὅτι ἤγειρε τὸν Χριστὸν, ὃν οὐκ ἤγειρεν, εἰπερ ἄρα νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται. Εἰ γὰρ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, οὐδὲ Χριστὸς ἐγήγερται. Ἐἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγερται, μάταια ἡ πίστις ὑμῶν.*





geffit, resurrectionem iam factam esse, (b) aliis, resurrectionem mortuorum frustra expectari, quod ut piis tristissimum, sic impiis gratum erat acceptumque, ne aliquando, auctore EPIPHANIO, poenas luerent scelerum suorum, scribente, (c) Ἀπιστοὶ μὲν γὰρ ἀρνοῦνται τὸ πᾶν τῆς ἀναστάσεως, κακοπίστων δὲ συρφετωδῶς καὶ ἀνοήτως τῆς κατὰ ἀλήθειαν ἐλπίδος ἐκπεπτωκότων τὸ ὅτι νοεῖν περὶ τῆς ἀναστάσεως. Καὶ Ἕλληνες μὲν οἱ τελείως ἀρνούμενοι τὴν ἀνάστασιν, διὰ τὴν ἀσέβειαν τοῦ πλήθους τῶν παρ' αὐτοῖς γινομένων ἀνομιμάτων. Μισοῦσι γὰρ τὴν ἀνάστασιν δι' ἧς μέλλουσαν αἰσχύνην ὑφίστασθαι, - - πλὴν ὅτι ἀνάστη-  
 σονται, καὶ μὴ βούλονται, aliis animas duntaxat, non autem corpora, resurrecturas, licet illae nunquam moriantur, nec in sepulchris recondantur, (d) aliis, resurrectionem fore carnis, non quam in hac uita habemus, sed alius cuiusdam in locum illius substitutae, (e) aliis denique, Christum allegorice, (\*) non reuera resurrexisse, (f) persuasurus hoc iis commento quodam, quod Iudaei indurati,

COR-

(b) 2. Tim. II, 18. (c) in *Ancorato*, p. 88, D. edit. Col.

(d) Vid. EPIPHANIVS, in *Ancor.* p. 90, sq.

(e) Apud eundem EPIPHANIVM, l. c. p. 88, C.

(\*) Quae criminatio est *Spinozae*. Vid. GRAPIVS in *System. Controu.* Tom. II. p. 63.

(f) Quos inter *Cerintus* erat, qui non tantum diuinitatem, sed resurrectionem quoque, Christi negavit. Vid. EPIPHAN. de *Haeresibus*, haeres. 28.





IV

corruptis custodibus, in uulguſ peruulgauerant. (g) Quamuis uero parum iuuaret incredulos Iudaeos hoc mendacium, cum ueritas, Ieſum a mortuis reſurrexiſſe, ubique triumpharet, et a legatis Domini, diuino Spiritu colluſtratis, (h) corroboraretur testimoniis, omni exceptione maioribus, adeo, ut ne ipſi quidem Iudaei, huius fabulae, in uulguſ editae, auctores, ad illud, uel conſcientiae propriae testimonio, uel ueritatis auctoritate uicti, coram magiſtratu prouocare, aut, quando legati Domini reſurrectionem eius aſſerent, in dubium uocare eam auerent, (i) quod tamen procul dubio feciſſent illi, multum hac traditione adiuti, ſi ueritate innixa fuiſſet ea, attamen, ut nullus eſt error, nullum mendacium, quod non ſuos patronos et credulos inueniat homines, ſic omni tempore extiterunt homines miſeri, qui partim incredulitate, partim ſupra memorata fabula, decepti, ſoſpitatorem a mortuis reſurrexiſſe, aut negarunt prorſus, aut in dubium uocarunt. Non recurramus ad antiquioris Eccleſiae tempora, in quibus *Cerinthiani*, *Carpocratiani*, aliique haeretici impuri reſurrectionem Domini impugnarunt, ſed noſtrum duntaxat attingamus ſaeculum, in quo, praeter alios,

A 3

Thomas

(g) Matth. XXIIIX, II, ſeqq. (h) Act. II, I, ſeqq.

(i) Act. II, 24, ſeqq. III, 15, ſeqq. IV, 2, ſeqq. 10, 13, ſeqq. V, 28, ſeqq. XXIIV, 3, ſeqq. XXV, 19, et alibi.





(*Thomas* cumprimis *Woolstonus* (*k*) mala hac innotuit fama, quod tum miracula, tum resurrectionem Christi impugnavit, quorum illa ut ab eius criminationibus vindicavit Celeb. IOECHERVS (*l*), sic huius veritatem magni nominis Episcopus, D. SCHERLOCK, asseruit (*m*) Et quanquam dumviri illi Celeberrimi ad incitas redegerint *Woolstonum*, eiusque ratiocinia nullo niti fundamento, folide euererint, tamen, cum hinc inde impietatem *Woolstonianam* recoquant, eiusque argumenta, quae uocant, urgeant homines, qui uel ex illius familia superfites adhuc sunt, uel ad eandem accedunt, necessum uidetur nobis, ut ea, eo tempore, quo resurrectionis Dominicae memoriam pia recolimus mente, hic breui repetamus, ac fidem nostram sanctissimam ab impostorum criminationibus uindicantes, de integro expendamus

Pri.

(*k*) Cui praeluisse uiderur *Benedictus Spinoza*, iisdem, ex parte, usus ratiociniis, uid. ZACH. GRAPPI *Systema controuersiar.* Tom. III, Qu. XX, p. 63, seq.

(*l*) In *Dissert. qua Thomae Woolstoni de miraculis Christi paralogismi examinantur.*

(*m*) In tractatu, cuius titulus est, *The Tryal of the Witnesses of the Resurrection of Iesus*, qui in linguam Germanicam conuersus hunc habet, *Gerichtlich Verhör derer Zeugen der Auferstehung Iesu.*



Primum, quod ad euertendam resurrectionem Christi afferunt Dominicae resurrectionis hostes, in eo positum esse, aiunt, quod Christus prius resurrexisset, quam ipse, cum in uiuis adhuc esset, discipulis ac populo significasset. *Matthaeus* enim ac *Marcus*, μετὰ τετρεῖς ἡμέρας, eum resurgere uoluisse, affirmassent, (n) quodsi uero *Lucas* euoluëretur ac *Iohannes*, (o) imo ipse, aliis in locis, *Matthaeus* ac *Marcus*, intelligeret unusquisque, quod matutino tempore diei Dominici iam resurrexisset, adeoque resurrectionis eius non tribus diebus completis, sed duobus saltem, sit facta. Verum, ut in illis locis, in quibus μετὰ τετρεῖς ἡμέρας legitur, uocula μετὰ, ex idiotismo Graeco, non post, sed inter, denotat, quod HOMERI illud (p) probat,

μηνησῆσαι ἀεισόμενος ΜΕΤΑ δαΐτας. *Nulli hie obstat*  
 Neque indigens ueni, *prociis cantaturus inter prandendum.*

itemque EURIPIDIS effatum, (q) scribentis,

Τὰ δ' ἰερά νύκτωρ ἢ ΜΕΘ ΗΜΕΡΑΝ τελεῖς.  
*Sacra autem noctu aut interdium perficis.*

(n) Matth. XXVII, 63, Marc. IIX, 31.

(o) Luc. XXIV, 1, seqq. Io. XX, 1, seqq.

(p) *Odyss.* X. sub fin. fere.

(q) in *Bacch.*





fic eum significatum his locis inesse, tum ipsi loci paralleli probant, in quibus uel legitur, Iesum τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, (r) resurrexisse, uel, se templum corporis sui restauraturum uelle, ἐν τρίτῃ ἡμέρᾳ, (s) *intra tres dies*, tum ex ipsa mente Pontificum summorum ac Pharisaeorum intelligitur, qui, ad *Pilatam* accedentes, rogabant eum, his uerbis, κέλευσον αὐτὸν ἀσφαλιθῆναι τὸν τάφον εἰς τῆς τρίτης ἡμέρας. Quodsi ergo locutio, μετὰ τρεῖς ἡμέρας, denotaret *post tres dies*, inepte certe rogassent illi custodiam *usque ad tertiam diem*, qui, demum *post tertiam diem* sese resurrecturum, dixisset. Atque eiusdem roboris est alterum momentum, huic, quod iam excussimus, affine, ex quo idem euincere allaborant, quod Christus, non statim tempore, sed citius, resurrexisset, quando ad illud diuinum *Matthaei* (t) prouocant oraculum, in quo Christus pronunciaffe dicitur, Ὡσπερ ἦν Ἰωάννης ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ μήτους τρεῖς ἡμέρας, καὶ τρεῖς νύκτας. Οὕτως ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς τρεῖς ἡμέρας, καὶ τρεῖς νύκτας. Sed tunc demum obtinebunt id, quod male inferunt, cum synecdochen ex lingua Graeca proscripserint, et hanc loquendi rationem apud Iudaeos ciuilem euerterint. Non enim

(r) Vid. Matth. XVI, 21, XVII, 23, XX, 19, Marc. IX, 31.

(s) Matth. XXVII, 40, Marc. XV, 29, Io. II, 19, 20.

(t) Cap. XII, 40.



enim dies noctesque naturales, sed ciuiles, esse intelligendos, partim ex locis parallelis, in quibus ἐν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, uel ἐν τρισὶν ἡμέραις, dicitur, paulo ante adductis, intelligitur, partim ex more dicendi, Iudaeis usitato, qui ad diem ciuilem, non integrum diem noctemque requisauerunt, sed sufficebat, si uel dies illuxerat, uel nox inceperat, id quod ex eo cognoscitur, quia tum ipsi Pharisei et summi sacerdotes uerba Christi non aliter acceperant, quando custodiam a *Pilato usque ad tertium diem* exorabant, (u) quam, si *Woolstoni* criminatio uera esset, exorare debuissent usque ad quartam diem, quo tres dies finiti essent, nec aliter ea acceperunt discipuli Emauntici, (x) qui itidem tertium diem resurrectionis terminum constituunt, quod facere non potuissent, si integri dies noctesque intelligendi essent, tum similia scribendi genera assertum probant, quale est istud *Lucæ*, (y) καὶ ὅτε ἐπλήθησαν ἡμέραι ἕκτω περιτεμεῖν τὸ παιδίον. Hic *Lucas* non octo dies integros, eosque finitos iamiam, uult intellectos, quod contra diuinum fuisset mandatum, sed hoc uult, octauum diem illuxisse, quo puerulus, iuxta mandatum DEI, circumcidendus erat (z).

B

scri-

(u) Matth. XXVII, 63.

(x) Luc. XXIV, 21.

(y) Luc. II, 21.

(z) Gen. XVII, 12, XXI, 4.



scribente (a), Καὶ, ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς, ἦσαν ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτό. Quis hic intelligeret, pentecostes festum finitum iam fuisse, cuius tantum primus dies ageretur, sic eodem modo non tres dies noctesque intelliguntur completi et finiti, quando Christus de se dixit, tres dies noctesque se commoraturum esse in sepulchro.

Secundum, cur resurrectio Christi neganda sit, quod urgent, argumentum est, quia omnis eius fides innitatur traditione maiorum, a quibus posteri acceperint. Qua ergo ratione illi retulerint et crediderint resurrectionis Dominicae circumstantias, eodem modo etiam hos eam credere, necessum sit, quamvis ipsi nec uiderint, nec conuicti sint de hac fallaci relatione. Verum, uti facile concederemus familiae *Woolstonianae* hanc sententiam, si a traditione orali fides resurrectionis Christi penderet, siquidem in Pontificiis idem iure meritoque notamus, quod ii multa ab orali traditione deducunt, Christianisque iniuste obtrudunt, sic eam fundamento quodam niti, cum fides nostra non ab orali deriuetur traditione, sed ab ea, quae literis eodem tempore, quo res illae gestae sunt, a testibus ἀντόπτοις καὶ ἀξιόπιστοις, diuinitus est consignata. Atqui eiusmodi tradi-

(a) Act. II, 1.





24.6.

23.2

traditioni scriptae, quam eo tempore, quo consignata est ea, in dubium uocauit nemo, debetur omnino ex communi consensu fides, eiusque assertio tantum in nostris animis efficit assensum, ac si rem gestam ipsi uidissemus oculis. Quod si uero haec traditionibus scriptis deroganda esset fides, omnem auferendam fidem esse a literarum monumentis, sequeretur, nec credendum, quid *Xenophon*, *Thucydides*, *Plato*, *Livius*, *Iosephus*, *Tacitus*, ac reliqui scripserunt, imo nec *Woolstono* aliisque scriptoribus posteri fidem habere tenerentur, qui de eo et contra eum scripserunt nostra memoria, utrum impius talis extiterit homo, quem extitisse e maiorum et ipsius *Woolstoni* scriptis accipient. Et licet excipiatur, si Iudaeorum aliorumque religionis Christianae hostium superessent libri, facile fidem scriptorum sanctorum infringi posse, scirem tamen, quo auctore, quoque fundamento, illi norint, quod tales libri extiterint, in quibus ueritas resurrectionis Christi fuerit euersa et deuicta. Profecto, si extitissent tales, *Lucianus*, *Porphyrus*, *Tryphon*, ceterique Christianae religionis hostes, eorum mentionem fecissent, ex ipsisque contra ueritatem adduxissent argumenta. Et nonne idem nobis concedendum esset argumentandi beneficium, si uera ex eo deduci posset concludendi ratio, assertibus, nisi tot libri interiissent Christianorum, Iudaeorum,





rum, et gentilium, procul dubio omnis res de ueritate resurrectionis Christi confici posset.

Horret animus, cum ad tertium progrediendum sit argumentum, uel rectius, ad impietatem *Woolstoni* abominabilem, qua afferere non erubuit, omne ueritatis de resurrectione Christi fundamentum et assertionem esse astutiam, fraudem, et fallaciam. Ipsum enim Dominum fuisse impostorem ἐν θουσιδζουτα, o impurum ac blasphemum os! impostores fraudulentosque homines fuisse discipulos Domini, criminantur, qui corpus Domini suffurati essent noctu, ipsique apparitionibus phantasticis decepti. Quatuor ergo sunt criminationes hic diluendae. Prima, si ad diuina oracula recurrendum esset, facile posset dilui, (b) sed, cum commenta *Woolstoni* sint destruenda, ea audiamus, statuit ille, Dominum legisse in V. T. quod certo tempore in Iudaeis principem quendam oriturum esse, qui gentis Iudaeae hostes sit oppressurus, quem cum expectasset gens Iudaeorum credula et superstitiosa, et in primis tempore Caesaris *Augusti*, quo ipsa in potestatem Romanorum erat redacta, Dominus, hanc occasionem arripens, se esse promissum illum principem, populo persuasisset, simulans tamen, quod princeps iste Messias, a Vatibus diuinis praedictus, non  
Rex

(b) Vid. Ies. LIII, 9, Io. IIX, 46, Hebr. VII, 26, 1 Petr. II, 22.





Rex mundanus, ut illi exponerent, sed princeps patiens esset futurus, atque hinc non ministros, sed discipulos, sibi elegisset, ignobiles quidem, sed astutos tamen, quo fallaciae suae focii essent, nec pompa regia, sed asino insidens, Hierosolyma esset ingressus, ut exploraret simulationis suae euentum, si felix ille fuisset, tunc facile regnum suum fictitium in regnum commutasset mundanum, sed, cum euentum praesensisset contrarium, praedixisset, quod facile illi diuinare licuisset, se cruci affixum, et tertio die resuscitatum, iri. Atque hanc fallaciam esse resurrectionis fundamentum, quam deinceps discipuli, impostores, uariis artibus et fraudibus ornassent, et quae, id genus, alia crimina sunt plura, quibus Seruatorem impium caput laceffuit. Quibus autem rationibus haec suffulcit commenta sua resurrectionis Dominicae hostis? nullis certe aliis, quam licentia ita coniecturandi, et concludendi probabilitate. Si uero hoc modo coniecturare et subsumere licet, facile diabolum in *Woolstonum*, et *Woolstonum* in diabolum conuertere licebit. Ex quam enim actione Sospitatoris conicere licet, quod ad regnum huius mundi aspiraerit, cum omnes eius et actiones et doctrinae huic affectationi prorsus fuerint contrariae (c). Certe, qui regna affectant,

B 3

affectant,

(c) Vid. Matth. XXII, 21. Io. VI, 15, XIIX, 33, seqq.





affectant, populi fauorem ac beneuolentiam sibi concilia-  
re pro uirili allaborant, Iesus uero fugiebat, cum popu-  
lus eum in Regem eligere uellet (*d*), illiusque animi  
sententiam resellebat seuerius (*e*). Ex quanam actio-  
ne demonstrari potest, quod fuerit impostor ἐπιδοκι-  
μαζων, cum nihil egerit, quod esset uel insanientis, uel  
contra legem, cum non suam, sed populi, quaereret  
salutem, cum maiestatem Caesaris assereret, cum doctrina  
eius ac uiuendi ratio entusiasmo repugnaret, cum tot  
miraculis suam comprobaret personam, cum ipse euen-  
tus ea, quae praedixerat, confirmaret. Numne hoc ἐπιδο-  
κιμαζοντος impostoris est, quando Dominus et euerfionem  
Hierosolymorum eiusque circumstantias, et quod nun-  
quam illa instauranda essent, praedicebat, (*f*) quando  
gentem Iudaicam non interituram, sed a reliquis genti-  
bus, usque ad consummationem seculi, fore distinctam,  
quando, se tertia die resurrecturum esse, non in articulo  
mortis, sed longo abhinc tempore (*g*), praenunciabat, re-  
liqua. Quanam fraus, quanam fallacia hic latet? Non-  
ne has ceterasque ueritates omnes comprobauit euentus?  
Ex

(*d*) Io. VI, 15.

(*e*) Io. VI, 24, seqq.

(*f*) Matth. XXIII, 38, 39, Marc. XIII, 1, seqq. Luc. XXI, 20,  
seqq.

(*g*) Matth. XII, 40, Io. II, 19, 20.





Ex quo solo rei aut ueritas, aut fallacia, cognoscitur. Quid hic discipulorum fecit astutia? quae secunda est criminatio, quam ipsi Iudaei diluunt, fatentes, eos ἀγαπητότους καὶ ἰδιώτας olim fuisse. Et quodsi in omnes eorum actiones inquiramus, nihil, quod astutiae, nihil, quod impostoris sit, inueniemus, quin potius, semel iterumque de tarditate et stupiditate ipsorum Iesum conquestum fuisse, legimus, (\*) ubi ergo astutia, ubi decipiendi animus? An ideo forte astuti et impostores sunt dicendi, quia haec omnia, Spiritu diuino postea collustrati et agitati, in uniuerso terrarum orbe euulgarunt, suoque sanguine, omni posthabita huius mundi felicitate, pollicitationibus, et ipsa uita, quae contra impostores et astuti quaerunt, testes ἀυτόπται obsignarunt? Sed aliam adhuc afferunt astutiae rationem, quae est tertia criminatio, corpus nimirum Domini suffuratos esse, dicunt. Fabulam, ecce, a Iudaeis quidem excogitatam, (b) sed cui nemo assensus est prudens, ideoque mox obsoluit. Expendamus tamen, utrum tantae fuerint tum temporis astutiae, tamque praesentis animi, discipuli, ut hanc fraudem facere, eaque homines circumuenire potuerint. Testantur omnia diuina scripta, ex quibus tamen omnem

(\*) Matth. XVI, 9, 11, Luc. XXIV, 25.

(b) Matth. XXIX, 18.





omnem illi hostes detegere uolunt fraudem et confundere ueritatem, discipulos ab eo tempore, quo Redemptor captus fuit, usque ad illud tempus, quo post resurrectionem eos erexit Dominus, fuisse meticulosos, incredulos, atque omnem fere salutis expectatae spem abiecisse. (*i*) Qua igitur ratione fingi potest, miseros istos, meticulosos, ac perterritos corpus Domini auferre ausos fuisse? inprimis, cum sepulchrum custodibus esset circumdatum sigillisque obfirmatum. Num ne adeo facile erat negotium, ex Romanorum militum manibus corpus, ipsorum fidei commissum, eripere, tantoque se exponere periculo? Sed, noctu, dormientibus custodibus, a discipulis hoc factum, (*k*) dicunt. Vnde uero sciunt custodes dormientes, a discipulis id factum esse? Dormientibus fides habenda non est, et quis unquam audiuit, dormientes nosse, quid rei, et a quonam, agatur. Nonne commenta, fabulae, λόγοι, nugae? Et quid utilitatis in eos redundasset, si corpus Christi e sepulchro abstulissent mortuum, atque euulgassent, eum resurrexisse, ob eamque fallaciam tot cruciatus, tot calamitates, tot persecutiones, tot uerbera, ipsamque mortem sustinuisent. (*l*) Nonne stulti

(*i*) Vid. Matth. XXVI, 56, Marc. XVI, 14, Luc. XXII, 54, seqq. XXIV, 17, 21, 25, 37, seqq. Io. XX, 19.

(*k*) Matth. XXVIII, 13.

(*l*) Rom. IIX, 35, seqq. 1 Cor. IV, 9, seqq. 2 Cor. I, 8, seqq.





flulti, nonne mendaces, nonne *ψευδομάστερες τοῦ Θεοῦ*, nonne  
*ματαιά η̄ πίσεις*. eorum, nonne *ἐλεεινότεροι πάντων ἀνθρώπων*, fuis-  
 sent? (*m*). Numne talem stultitiam ab hominibus astu-  
 tis, quos uocant, et impostoribus expectare licet? Num-  
 ne denique credibile est, si uera fuisset adducta fraus, quod  
 sapiens *Gamaliel* (*n*) DEI prouidentiam in hoc opere a-  
 gnouisset, eique synedrium, nisi de resurrectione Domini  
 a custodibus, (*o*) ac tot testibus, fuissent conuicti, qui i-  
 ipsum oculis uiderant, de eoque coram iudicio intrepide  
 testimonia ediderant, (*p*) assensum fuisset? At his *quartam*  
 opponunt criminationem, inquires, Christum discipulis  
 non comparuisse, sed phantasmate delusos fuisse ipsos, o-  
 mnes enim, tum mulieres, tum ipsos Apostolos, stupore per-  
 territos, metuque percussos, fuisse, (*q*) qui in tali animi per-  
 turbatione testari non potuissent, nec fides ipsis sit habenda,  
 quia nesciuissent, quid uidissent. At enim uero, ut lubentes  
 C damus,

(*m*) I Cor. XV, 15, seqq.

(*n*) Act. V, 38, seqq.

(*o*) Matth. XXIIIX, 2, 3, 4, II.

(*p*) Luc. XXIV, 4, seqq. 36, sqq. Io. XX, 11, seqq. 19, seq. Act.  
 IV, 8, seqq. V, 25, seqq.

(*q*) Math. XXIIIX, 5, 8, Marc. XVI, 5, 8, Luc. XXIV, 37.





damus, mulieres et discipulos obstupuisse, cum Dominus primum compareret, sic illos nobis quoque dare oportet, stuporem illum breui saltem durasse tempore, (r) eosque posthaec, cum per quadraginta dies cum ipsis conuersaretur, eos instrueret, cum ipsis ederet ac biberet, hique ipsum palparent, in montem oliueti eum sequerentur, ipsumque in coelum ascendentem uiderent, (s) non amplius obstupuisse, multo minus testimonia, eo ipso momento, quo stupore correpti erant, edidisse. Ad haec non Apostoli tantum et mulieres Iesum resuscitatum uiderunt, eiusque resurrectionis sunt testes, sed alii plures eum uiderunt, nec singuli tantum singulis temporibus, sed quingenti simul. (t) Numne hi omnes uisu fuerunt destituti, ac phantasmate delusi?

Virgent porro, Seruatorem omni populo, sigillatimque Phariseis et summis sacerdotibus, comparere, eosque miraculis conuincere debuisse, cum uero id factum non fuerit,

(r) Luc. XXIV, 41, Io. XX, 20.

(s) Luc. XXIV, 41, seqq. Io. XX, 26, seqq. XXI, 5, seqq. Act. I, 3, seqq. X, 41, I Cor. XV, 3, seqq.

(t) I Cor. XV, 6.



fuerit, rationes quaerunt, cur hoc neglexerit Christus resuscitatus, qui hac in causa similis sit legato, qui missus in urbem quidem aduenisse dicatur, sed cum neque in Regis, neque in ministrorum, uenerit conspectum, cum amicis saltem conuersatus, neque legationis suae literas iis tradiderit, aut male officio suo perfunctum, aut eius aduentum in dubium uocandum esse, sequeretur. Verum enim uero, admodum male institutos esse aduersarios doctrina diuina, facile est demonstratu. Nam ut uerum quidem est, Dominum legati munus obisse ad Iudaeos, (u) ideoque eum appellari ministrum circumcisionis, (x) sic hoc legationis suae munus saepe, multumque, probauit legationis suae documentis, scilicet miraculis, doctrina, ac uirtute sanctitate, (y) imo ipse Pater coelestis probationem addidit, testans, (z) *οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, ἐν ᾧ ἐνδόκησα*, eoque fidelissime usque ad mortem perfunctus est,

C. 2 morte

(u) Matth. X, 6, XV, 24.

(x) Rom. XV, 8.

(y) Matth. IX, 6, 22, 25, 30, 33, 35; Io. VII, 15, 16, IIX, 46, X, 37, 38.

(z) Matth. III, 17.





morte autem intercedente desit hoc legationis munus, nec amplius ad Iudaeos, ab iis reiectus et occisus redire debuit, sicut legatus, ut simili aduersariorum insistam, semel occisus non redit ad eos, qui eum interfecerunt, prout ipse, paulo ante mortem, denunciauerat ipsis, λέγω ὑμῖν· Οὐ μὴ με ἴδητε ἀπ' ἀγῆτι. (a) Quare, postquam Seruator consummauerat omnia, quae ad se, ratione muneris Prophetici et Sacerdotalis, spectabant, et status exinanitionis desierat, non amplius legatus, sed Rex Regum ac Dominus, erat, qui, de morte, inferno ac diabolo triumphans, et accepta omni potestate in coelis et in terra, (b) ad dexteram DEI exaltandus, (c) regnare debebat. Vt uero regnum suum in toto terrarum orbe instauraretur, legatos suos emisit, (d) iisque legationis suae literas, scilicet eundem Spiritum ac doctrinam, (e) quo ipse unctus eam docuerat,

(a) Matth. XXIII, 39.

(b) Matth. XXIIIX, 18.

(c) Marc. XVI, 19, Rom. IIX, 34, Eph. I, 20. Phil. II, 5, seqq.

(d) Marc. XVI, 15, Matth. XXIIIX, 19.

(e) Io. XIV, 16, 17, 26, XV, 26, 27, XVI, 13, seqq. Act. I, 4, seqq. II, 1, seqq.





cuerat, eandem facultatem miracula faciendi. (f) Atque hae assertio- literae tum Regis sui auctoritati ac maie- stati, tum legationis suae muneri ac ueritati uindicandis sufficiebant, nec opus erat, ut Rex regum antea compare- ret populo, eique significaret, quod uiueret, et quid fa- cturus esset, hoc enim ex testimoniis discipulorum, doctri- na ac miraculis confirmatis, cognoscere debebant, sicut nec Regis est, ut ad eos proficiscatur ante, uel compareat iis, ad quos legatos suos est missurus, sed sufficiunt literae *cre- dentiales*, quas uocant, ex quibus, Regem esse in uiuis, conuincuntur. Et, denique, quid profuisset, si Iesus comparu- issent incredulis, qui custodum testimonia, partium haud stu- diosorum, de Christo resuscitato suppressere studebant, dum eos argento corrumpebant.

Postremo rationem et naturae ordinem nobis oppo- nunt, resurrectionem uidelicet Domini esse contra ratio- nem, contra naturae cursum, nec in sensus cadere. Quem- admodum uero recte supra laudatus SCHERLOCKIUS

C 3

obser-

(f) Marc. XVI, 17, seqq. Act. II, 4, seqq. III, 2, seqq. V, 12, 15, 16, seqq. XVI, 18, XXII, 5, seqq. cetera.





obseruauit, distinguendum esse inter rationem, et inter prae-  
 iudicia rationis, quae sibi aliquis concipit ipse. Si de his  
 sermo est, concedimus, aliquem uel praeiudiciis eiusmodi  
 imbutum esse, uel sibi ipsi, causarum ignaro, talia praeiudicia  
 formare posse, quibus credat, hoc illudue esse contra ra-  
 tionem et naturae cursum, u. g. quando iis narret aliquis,  
 qui nunquam uiderunt aut audiuerunt, magnetem ferrum  
 attrahere, qui nunquam uiderunt electricitatis effectum, qui  
 nunquam uiderunt, ut illi, qui in regionibus habitant, meri-  
 dianae plagae subiectis, aquam gelu indurescere, nonne di-  
 cent illi, contra rationem et naturae cursum esse haec. Numne  
 uero nos, qui meliora scimus, et in dies, singulisque annis, ex-  
 perimur, harum rerum testes, erimus impostores, si iis ueri-  
 tatem uellemus persuadere, quam illi contra rationem et natu-  
 rae cursum esse, quia actu in sensus non cadit, statuerent? Eo-  
 dem modo utinam concluderent resurrectionis Dominicae  
 hostes! Licet enim ipsi non uiderint Dominum resuscitatum,  
 tamen testes ἀξιόπιστοι: tot centeni eum uiderunt, quibus fides  
 est habenda, et licet, rationi id aduersari, ipsis uideatur,  
 tamen ideo ad huius ueritatis negationem non ualet con-  
 sequen-





sequentia. Testes enim adsunt, qui Iesum uiderunt resuscitatum, qui cum ipso conuersati sunt. Adhaec, etiamsi homines defuncti, iuxta naturae legem, non resurgant, non tamen ideo resurrectionis possibilitas erit neganda, prout eam EPIPHANIVS (g) multis euicit exemplis, ex natura defuntis, et ante eum ipse scriptor diuinus, PAVLVS, in priori Epistola ad Corinthios data. (b) Si autem resurrectionis possibilitas neganda non est, qua ratione resurrectio Christi negari poterit? in primis cum illa non a naturae legibus, sed ab omnipotentia DEI, pependerit, qui, ut hoc uniuersum ex nihilo, et ex puluere terreno homines producere potuit, sic, eum multo facilius Redemptorem nostrum ex sepulchro resuscitare potuisse, nostraque aliquando corpora ex puluere humano resuscitare posse, credimus, et, ut hanc ueritatem omnes credant, exoptamus. Habetis, CIVES Optimi, primaria, quae urgent resurrectionis Dominicae hostes, momenta, ex quibus cognoscere licet, quanta sit in filiis incredulitatis satanae, *μεννοῦ* illius, (i) potestas, quem nos fide deuicimus, (k) et qua accensi

VOBIS

(g) in *Ancor.* cit. p. 88, seqq.

(b) Cap. XV, 35, seqq.

(i) I Io. II, 13, 14.

(k) I Io. V, 4.





VOBIS uoce ueteris Ecclesiae acclamamus, ἐγγέθη ὁ Χριστός,  
 nulli dubitantes, vos eiusdem uoce fidem Vestram profi-  
 tentes, responsuros esse, ἀληθῶς ἐγγέθη. Perstetis itaque  
 in hac fide, ut vos etiam eos, qui uestrae aliquando  
 curae, uestroque magistratui, commitemini, in hac fide  
 conseruare et corroborare possitis. Perstantes autem vos  
 in hac fide comminiscamini insimul Legatorum DEI,  
 qui hanc fidem in Christum resuscitatum VOBIS annun-  
 ciant, eosque, largam manum ad altare afferentes,  
 Vestra reficiatis benignitate.

---

P. P. ipso Festo, Resurrectioni Domini dedicato.

CIO IO CCLIV

---

V I T E M B E R G A E

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS






Index.

- 1) Laur. Stentzel de Theologia in genere.
- 2) \_\_\_\_\_ de Religione
- 3) \_\_\_\_\_ de Scriptura Sacra.
- 4) \_\_\_\_\_ de Deo.
- 5) Jac. Honr. Balthasar de Scriptura Sacra, & quidem de illius Definitione.
- 6) Mar. Felmer (f. P. S. T. Baumgarten) de Efficacia S. Scripturae naturali & supernaturali.
- 7) Jos. Aug. Caspe (f. P. S. T. Knappii) de Expositioe scripturae tanquam vera revelationis character.
- 8) Christ. Frid. Hofmann (f. P. S. T. D. Stofchii) de Ecclesia Divinae Bibliorum Inspirationem testante.
- 9) Gottfr. Schütz (f. P. S. T. Baumgarten) de Infalibilitate Pontificum Romanorum de τὸ κατὰ κράτος.
- 10) Benj. Gottl. Clemens de Critere Religionis Christianae primario.
- 11) Joh. Christ. Flemmius de Veritate Religionis Christ. ex Vaticiniorum Implementis comprobata.
- 12) Car. Sam. Krausius de Decore Dei in Vaticiniorum Obscuritate.
- 13) Joh. Christ. Flemmi Judaismus Christianismo sublatus. \*
- 14) Joh. Christoph. Gessii Sylloge Quaestionum Theologicarum denovo tractatum.
- 15) Christ. Wendt (f. P. S. T. Baumgarten) de Omnipotentia vera notione.
- 16) Nic. Nonnen Theologumena de Terra Motu.
- 17) Bernh. Frid. Luifforpi Disputatio: an & quoad primum originis Nationi pateat?
- 18) Christ. Nicol. Schaefer (f. P. S. T. Wernsdorffii) de Reliquiis Imaginis Divinae.
- 19) Joh. Christ. Schwarzi Meditationes ad locum de Christo. Specimen I.
- 20) \_\_\_\_\_ Specimen II.
- 21) Benj. Settmich (f. P. S. T. Baumgarten) de Omnipotentia Christi in State exinanitionis.
- 22) Christ. Sigism. Georgii Veritas Resurrectionis Dominica ab Impietatis criminationibus vindicata.
- 23) Ad. Henr. Lactmannus de Eo unde lacuna testimoniorum atq; defectus in harmonia sanctorum & profanorum Scriptorum, vita ac memoriae Christi intervenientiam?
- 24) Joh. Frid. Page (f. P. S. T. Baumgarten) de Natura & Gratia Regni.
- 25) Ern. Frid. Penning (f. P. S. T. eodem) de Conversione non infantaria.
- 26) Car. Gottl. Hofmannus de Discrimine fidei Divinae & humanae.
- 27) Christ. Weipus de Fame & Siti rerum facrarum passus in Sacris memorata.

~































Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn862186080/phys\\_0040](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn862186080/phys_0040)

**DFG**



RERVM SACRARVM. DE PA. XLIX

que cumulantibus, Ies. I, 11-15. XXIX, 13. Amos  
 II. Matth. XV, 8. Marci VII, 6. Quotquot igitur  
 ne vera mentis poenitentia, in medio vitiorum  
 i, peccatorum remissionem a Deo; carnali gratiae  
 opiosos tantum fallendosque conscientiae angos-  
 efficto, sibi expetunt, Ier. III, 4. Hof. VIII, 2. Qui  
 neraria leuitate, in Scripturam inuolant; \* aut de  
 lei articulis, morumque emendationibus, ostenta-  
 vel gloriolae captandae, vel iurgiorum prouocan-  
 Phil. II, 15. acriter disceptant; illos a Simonis Magi  
 impietate confido, Act. VIII, 18. sanctissima Flami-  
 a, profana siti, appetentis. Quin et ipsum aeter-  
 nis studium, vitio tum insigni admodum profano-  
 si mercenario et feruili ingenio, ob fictas pepe-  
 voluptates, si meritorum operumque confidentia,  
 alutis ordine, exoptetur; Luc. III, 7. XIII, 24.  
 XIX, 25. XXV, 44. Caueant igitur sibi, et solliciti  
 spiciant, ipsi etiam RENATI, ne vel talia votis suis  
 fumant, quae a Numinis voluntate, plane defle-  
 uibus impuritatibus aliqua labes, cordium scrutatori  
 da, subsit. Ipsum mortis pacatae desiderium, fidei  
 do, donorumque Spiritus S. augendorum fames, si-  
 sacrarum omnis, excutienda iterum iterumque sunt  
 stus superbiaeque spiritualis quicquam, execrabile  
 crimen, ipsis forte non adeo aduertentibus, lateat. \*\*\*

§. XX.

IV. 7. 2 Tim. II. 16. 23. Tit. III. 9. Ioh. IV. 29. Matth. XIX.  
 5. 36.

liatarum reuelationum vel immediati alloquii diuini pica pertinet,  
 ri subiecisse examini non poenitebit, ELIAE, PAULI que, analy-  
 i exoptantium, cupidinem I Reg. XIX. 4. 2 Cor. V. 8. Phil. I. 23.  
 eum videndi desiderium Ex. XXXIII. 18. 22. DAVIDIS de  
 aendo consilium, ipsi prius Nathani probatum 2 Sam. VII. 2. 3.  
 F  
 Christum

